

deduxit, omnesque thesauros et pretiosissimam supellectilem et quidquid spectatu dignum in iis erat ostendit, et liberam omnia spectandi, contemplandi, fruendique potestatem ei fecit. NULLUS Porto, simul ac eius nomen ac adventum audivit, splendidissima palatia præparavit, in quibus cum sua familia non solum habitaret, sed etiam regie viveret atque perpetuis honestarum deliciarum voluptatibus decenter indulgeret. Verum Portus, qui nulla vanorum honorum cupiditate flagrat, invidiæ vitandæ causa, quod alii cunctis mortalibus ambitiose prædicari notumque fieri cupiunt, id ipse profundo vult tegi silentio. Quin etiam hæc ipsa quæ scribit, amicis tantum, idque secreto scribit, nec in vulgus efferri cupit. Quia tamen acceptorum beneficiorum est memor, hæc apud eos animo gratissimo privatim recenset.

NULLUS Porto nuper promisit fore ut avita, paterna ac materna bona (quibus, per adversæ partis fraudes, anno 1572, fraudatus fuit, quæ nunc etiam in Galliis, in Prioratu S. Germani en l'Aye, Parisiis vicino, a potentioribus occupata detinentur) recuperaret, et in antiquam atque legitimam eorum possessionem tandem aliquando mitteretur. NULLUS eidem Porto per litteras significavit bona quæ Franciscus Portus Cretensis olim in insula Creta iuvenis reliquit, nunc ab Egenolpho Porto, comite Vicentino, ne vacua manerent et possessore fructum eorum percepturo carerent, per cognationis iura, perofficiose possideri, Portique filium qui, propter longissimam temporis præscriptionem, ea repetere non audebat, omnia dominis invitis, a NEMINE, cum legitimo sænore, brevi recepturum. NULLUS (quis credet?) aureis muneribus Portum quotidie reclamantem ac repugnantem onerat ac honorat. NULLUS (et NULLIUS Persarum regis erga Portum beneficentia pro meritis prædicetur), NULLUS Porto, quidquid ipsius animus exoptat et quidquid vitam facit beatiorem, id omne semper ante præstitit et in posterum semper ut ante præstabit. An igitur qui summam felicitatem, quam nunquam sperasset, per insignem Dei clementiam adeptus fuerit, is iustas debitasque gratiarum actiones

